

sumus, incipimus Deum timere, diligere, petere, & expectare ab eo auxilium, gratias agere & predicare, & obedire ei in afflictionibus. Incipimus & diligere proximos, quia corda habent spirituales & sanctos motus.

Hæc non possunt fieri, nisi postquam fide iustificat sumus, & renati accipimus spiritum sanctum. Primum quia lex non potest fieri sine Christo. Item, Lex non potest fieri sine spiritu sancto. At spiritus sanctus accipitur fide, iuxta illud Pauli, Galat. iiiij. Ut promissio nem spiritus accipiamus per fidem. Item, quomodo potest humanum cor diligere Deum, dum sentit eum horribiliter irasci, & opprimere nos temporalibus & perpetuis calamitatibus. Lex autem semper accusat nos, semper ostendit irasci Deum. Non igitur diligitur Deus, nisi postquam apprehendimus fidem misericordiam. Ita demum sit obiectum amabile,

Quamquam igitur ciuita opera, hoc est, externa opera legis sine Christo, & sine spiritu sancto aliqua ex parte fieri possint, tamen apparet ex his quæ diximus, illa quæ sunt propriæ legis diuinæ, hoc est, affectus cordis erga Deum qui preceptiuntur in prima tabula, non posse fieri sine spiritu sancto. Sed aduersarij nostri sunt suaves theologi, Intuentur secundâ tabulam, & politica opera, primam nihil curant, quasi nihil pertineat ad rem, aut certe tantum externos cultus requirunt. Illam æternam legem, & longe positam supra omnium creaturarum sensum atque intellectum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, prorsus non considerant.

At Christus